



VIdomarus rex Germanorum, magna corporis & animi fortitudine præditus, Theodori ci regis Ostrogothorum patruus extitit. Is anno quadringentesimo septuagesimo sexto cum Gothis, Herulis, Turogis, Alemannis, & Nariscis Noricorum prouincias Romanis adhuc obsequentes incursarunt. Id prædixerat prius S. Seuerinus Paulino Tiburniæ præsuli, quæ tum Alarici caput in Carnis sita erat. Itaque Paulinus per suam diocesim homines triduano ieiunio Deum placare ius- sit. Interea hostes adsunt & agrum uastantur. uerum nullus locus, qui monitis paruit, direptus fuit. Inde Iuuaniësibus (qui hodie Salisburgenses sunt) mandat, ut fuga saluti suæ consulant, atque urbe excedant. Cum autem illi ea contemnerent, Quintasium quendam misit, qui aperiat subsequenti nocte omnes interituros, ni euestigio recedant. Verum Iuuanienses & eorum præsul Maximus ea neglexit. Itaque eadem nocte Vidomarus adfuit, urbem inopinatò inuasit, cepit, diripuit, & incendit, atque populum captiuum abduxit. Tum Maximus præsul in crucem actus, ac amplius quinquaginta quinque Simmistæ, è rupium eauernis, quo confugerant, præcipitati. Hoc modo factum, ut militibus Romanis imperfectis Germani multoties Danubium transirent, atq; eius regionis incolas, pecoris instar, captiuos in interiorem Germaniam abducerent.